





B. N.  
309.

Xm. 195.

8

DISPUTATIO  
DE  
**SIMPLICIUM**  
MEDICAMENTORUM  
FACULTATIBUS  
VII.

*Ex Capitibus 20. 21. 22. 23. 24. 25.  
26. & 27. Libri secundi Galeni de sim-  
plicium medicamentorum facultati-  
bus petita:*

*Et*  
Publici exercitij gratia in inlyta Argentoratensium Universitate proposita

à  
**MELCHIORE SEBIZIO,**  
DOCTORE ET PROFESSORE  
Medicinae, Comite Palatino Cæsareo, ac  
Reipubl. Archiatro: h. t. Universit.  
Rectoris  
*Respondente*  
**GEORGIO GODOFREDO ZILLINGER,** VIENNENSIS AUSTRIACO.

ARGENTORATI,  
Typis EBERHARDI WELPERI.  
M. DC. XLVIII.





## PROBLEMA

### I.



Uænam veterum Philosophorum de Olei temperatura fuerint sententiæ? Variæ omnino. Observandum autem, quæstionem esse non de oleo quovis, sed duntaxat de oleo olivarum, eoque ex maturis olivis expresso, etatis media, simplici, omnisiq; salis experte, quod dulce admodum. Tale statuit Galenus temperatum. At veteres Philosophi ànq; alio id esse crediderunt: aliij quidem calidum: aliij verò frigidum: & utriusque suas habuerunt rationes. Sed Galenus ait, illorum inveniendæ facultatis viam esse pravam. Ideoque redarguendam.

Qui calidum illud statuerunt, sic argumentabantur. Quod celeriter accenditur & in flamمام vertitur, id est calidum. Oleum descriptum celeriter accenditur & in flamمام vertitur. Ergo calidum est.

Hanc rationem quidam damnabant, & oleum propterea facile accendi dicebant, quod tenuerit & aëreum.

Qui id frigidum esse docebant, sic ratiocinabantur. Q. hyberno tempore oxyssimè concrescit, id est frigidum. Oleum hyberno tempore oxyssimè concrescit. E. frigidum est. N 2 His

His respondebat, qui calidum putarunt oleum, falsum esse, quod frigidum sit. Nam quod est aereum, id est calidum: quia aer natura calidus est. Oleum est aereum. Ergo est calidum, nequaquam frigidum,

Minorem probabant hoc modo. Q. est leve, id est aereum. Oleum est leve. Supernatat enim aqua. Ergo est aereum. Quod autem aer sit calidus, sic confirmabant. Q. generatur ex aqua per calorem extenuata atque soluta, id est calidum. Aer hoc modo generatur. Ergo calidus est.

Hi igitur, qui oleum aereum esse dicebant, & consequenter calidum, in gravem inciderunt controversiam de aeris temperatura, vehementer in Philosophorum scholis agitamat. Aristoteles enim & illius aseclae aerem statuerunt calidum: Stoici contra frigidum. I. 2. c. 20.

### II.

Cum indicatum sit, quid veteres judicarent de olei qualitatibus activis, quæri potest, quænam illorum opinio fuerit de ejusdem qualitatibus passivis? Rursus in contrarias illi abierunt partes. Alij enim siccum & terenum, alijs contra humidum id esse asserebant.

Nam qui frigiditatem ejus impugnabant, reiebantque rationem à celeri congelatione, sive concretione petitam, affirmabant, causam concretionis non esse frigus, sed ουσατινή ζωὴ πάχυσιν, consistentiam quandam & incrassationem. Nam quod crassum est & viscosum, id facile

cile coit, non quia frigidum. Oleum est crassum & viscosum. Ergo propter hanc causam facile coit: non quia frigidum.

Verum Galenūs addit, utriusque sententiæ Patronos urgeri, tam illos, qui à frigore oleum concrescere ajunt, quam qui ob crassitiem coire id asseverant. Hos quidem, quia videmus, oleum celerius à frigore vinci & coire, quam aquam: illos vero, quod aqua magis à frigore quam oleum congeletur. Prioribus ergo videtur oleum frigidum esse: posterioribus calidum.

Plurimi veteres oleum aëreum esse dicebant: verum de illius temperamento discordes alebant opiniones: quia neque de aëris natus erant concordes. Non pauci negabant, oleum aëreæ esse naturæ. Concedebant quidem, quod dici possit, levitatem olei indicium esse substantiæ aëreæ: sed repugnare ejus crassitiem, quæ terreum esse probare videatur. Quidam utramque naturam admittebant, quod scil. oleum aëreum simul & terrenum sit. Nonnulli hos deridebant, & confutabant hoc argumento. Quod est humidum, id terrenum dici nequit. Oleum est humidum, & humida qualitas illi præcipue inest. Ergo terrenum dici non potest. l. 2. c. 20.

### III.

Aliane ratione veteres oleum frigidum, vel calidum esse probabant? Probabant hoc ex viscositate, quam Galenus vocat γλυκότητα. Nam quod est γλυκόν, viscosum & lentum,

N 3 id

*id est frigidum. Oleum est γλυκόν. Ergo frigidum est.*

*Minorem ita stabiliebant. Cujus corporis partes sunt contractae & compactae, & invicem exacte coherent, id est viscosum, & per consequens frigidum. Olei partes sunt tales. Ergo oleum est viscosum, & ob id frigidum.*

*Consequens in Majori positum hunc in modum rursus confirmabant. Si fundere, extenuare, solvere, & partes a se invicem separare caloris sunt effectus, sequetur, quia contrariorum effectus sunt contrarij, contrahere, & compingere effectus esse frigoris. Prius est verissimum. Ergo & posterius.*

*Qui calidum esse oleum contendebant, eodem prorsus argumento utebantur. Quod est viscosum, id est calidum. Oleum est viscosum. E. est calidum.*

*Majorem planam faciebant multis exemplis viscidorum corporum, quæ calida esse, aut a calore profici sci, nemo dubitat. V. g. exemplo succorum, qui tum ex herbis, tum ex fructibus exprimuntur. Hi enim aquei sunt in principio, tenues & liquidi: ast ubi decocti fuerint, crassi viscosi evadunt. Deinde exemplo mellis, picis liquidæ, resine, visci &c. Hæc namque & viscida sunt, & calida. Verum antagonistæ horum exemplis quoque pugnabant, & viscidorum exempla proferabant in medium, quæ frigida sunt, nequaquam calida: utpote succum Cicutæ, Psyllij, Atriplicis, Bliti*

Bliti &c. Ultimò etiam pituitam, tanquam colophonem orationis suæ, producebant. Omnia enim ista lenta sunt atque viscosa, & frigida tamen.

Quin imò inficiabantur, quod ante à dictum, fundere solius caloris opus esse. Nam si oleum in venæ sectionibus vulnusculo, ex quo sanguis fluerre debet, non fluit autem, vel guttatum duntaxat stillatimque fluit, affusum, fluxum sanguinis promovet, sequitur, fusionem non solius esse caloris actionem. At prius facit oleum, ut experientia docet. Ergo fusio non est solius caloris actio. Oleum enim fluere facit sanguinem, non quod calore illum fundat & liquet, sed quia lubricum est.

Obijcies, quod lubricum est, id à frigore prodit. Oleum lubricum est. Ergo à frigore. Major probatur. Si glacies est lubrica, sequitur, lubricitatem provenire à frigore: quia ipsa quoq; glacies, quæ aqua est congelata, ab eodem proficiscitur. At glacies est lubrica, ut tactus docet. Ergo lubricitas provenit à frigore. Galenus nil respondet. Dicimus autem nos, tametsi glacies lubrica sit, non tamen id per se à frigore habere, sed superficie levitate. Nam quæ leviae sunt, terfa atque polita, lubrica existunt. Quod si frigus causa levitatis esse in glacie statuatur, tantum per accidens causa est: quoniam facit, ut aqua congeletur, & postea in superficie levitas relinquatur. 1. 2. c. 20.

I V.

Utrum veteres contraria de olei temperamento statuentes adhuc aliam habuerint rationem, qua id vel frigidum, vel calidum esse crediderint? Maxime. Sumebant autem illam à pinguedine, quæ ἀναλογίαν quandam habet cùm oleo.

Qui ergo oleum pronunciabant calidum, primum sic ratiocinabantur. Si in corporibus ὑγεινοῖς καὶ ἐὐτρέπτις sanis beneq; nutritis multa provenit pinguedo, sequitur, eam esse calidam, & proin etiam oleum calidum. Pinguedo enim cum oleo ἀναλογίαν habet evidentem. At in sanis probéq; nutritis corporibus multa provenit pinguedo. Ergo pinguedo calida est, & tale quoque oleum, quia illi ἀναλογον.

Consequentia Majoris probatur. Si corpora sana, benéque nutrita calida sunt, siuntque à Natura valida atq; robusta, quam omnes Physici calidam esse profitentur, sequitur, etiam pinguedinem, illius effectum, esse calidam. Prius est verum. Ergo & posterius.

Qui vero è diverso oleum frigidum esse opinati sunt, illi similiter argumentum petebant à pinguedine, hancque frigidam esse sequentibus probare argumentis sunt conati.

I. est istud. Si animalia calidiora & sicciora, & graciliora sunt, & pinguedine carent, necessario pinguedo frigida erit. Prius est verum ac notorium. Ergo.

II. est

II, est istud. Si fœminæ abundant pinguedine, pinguioresque sunt maribus, qui calidiores, sequitur, eam esse frigidi temperamenti: quia tales quoque sunt fœminæ. At prius verum est, ut avlochia monstrat. Ergo pinguedo frigidi est temperamenti, & per consequens etiam oleum, quod illi simile.

III. Si qui otiosam & sedentariam vitā transigunt, pingues sunt: macri contrà, qui laboriosè vivunt, necesse est, pinguedinem quoque frigidam esse. At prius verum est, ut iterum eadem ostendit ocularis inspectio. Ergo pinguedo frigida est complexionis.

IV. Si gentes, quæ frigidas incolunt regiones, pingues sunt, quæ calidas, graciles & macræ, infertur, pinguedinem esse frigidam. Prius verum est. Ergo & posterius.

Prius probatur exemplo Gallorum, Thracum, Pithynorum, Ponticorum, & Galatarum, qui siuti frigidas inhabitant regiones, ita quoque pingui sunt corporis habitu prædicti. Exemplo item Arabum, Libyorum, Ægyptiorum, Æthiopum, qui ut in calidis degunt regionibus, sic etiam graciles sunt & aridi.

V. Si animalia frigida pinguiora sunt omnia, concluditur, pinguedinem frigidam esse. Prius est verum, ut exempla ursorum, ovium, & porcorum ostendunt. Ergo pinguedo frigida est: & consequenter etiam oleum, quod illi affine.

VI. Si pinguedo in corpore accumulatur, quan-

N S do ca-

do calor est debilis redditus, consequens est, eam  
à calore non generari, & proin frigidam esse.  
Antecedens verum est. Ergo. Pinguis namque  
succus in nobis non gignitur, nisi cibi probè à  
Natura conficiantur. In cibis etiam quidem con-  
tinetur, à nostro autem calore consumitur, velut  
à flamma oleum. At si is factus sit infirmior, in  
corpo coacervatur. l. 2. c. 20.

V.

Quæ sint reliquæ veterum rationes,  
quib. olei temperamentum docere volue-  
rint? Galenus unam ex illis esse scribit, quæ  
ab insectis petita. Hæc enim oleo peruncta, ut  
muscae, vespæ, & formicæ, intereunt. Sed quam ob  
causam hoc fiat, diversimodè explicarunt. Qui-  
dam enim dicebant, cùm animalcula ista sint  
exanguia, & idcirco frigida, propterea ab oleo  
interimi, quod ab oleo refrigerentur, & calor  
illorum exiguis à frigiditate olei extinguitur.

Alij asserebant, calefieri insecta ab oleo, sed  
mutationem in contrarium ferre non posse.

Nonnulli prætendebant, necari insecta ab  
oleo, eò quod nimis inde exiccentur, cùm anteā  
τῷ φύσει sint exiccatæ.

Fuerunt denique, qui asseverarint, ea nimio-  
perè ab oleo humectari, & sic quia contra ipso-  
rum naturam alterentur, vitam finire. Siccas  
enim esse bestiolas naturā. Ideoque naturam ea-  
rum à contraria humiditate destrui.

Altera ratio desumpta est à nobis metipsis:  
ubi

ubi rursus plurimum inter se dissentiebant. Etenim, alij dicebant, eos, qui oleo inunguent in balneo, sudare copiosius, quam qui circa inunctionem lavantur.

Alij contrarium statuebant. Viri, autem rursus inter se discordabant. Nam qui defendebant, oleo inunctos in balneo plus sudare, calidum id esse asseverabant, & sudorem elicere calore. Quidam viscositate, ac fortassis etiam frigore hoc facere clamabant, quoniam frigus cogat densaque exhalantes vapores, efficiatque, ut quod sensum antea fugiebat, postea sensibiliter evacuetur.

Qui minus sudare volebant eos, qui in balneis, aut exercitiis unguntur, similiter inter se discrepabant plurimum. Nam alij volebant, oleum illinendi facultate sudores cohibere, quod viscosum esset.

Quidam arbitrabantur, praestare istud facultate refrigerandi, & poros cutis constringendi: ac ob id oleum esse frigidum. Nonnulli siccandi: aliqui humectandi vim ei tribuebant. Humectandi quidem illi, qui censebant, oleo inunctos in balneis sudare largius. Siccandi vero, quibus persuasum erat, parcios ab inunctione sudare.

Quod autem oleum inunctos a frigore tueatur, hoc inde fieri quidam prohibebant, quoniam oleum crassum sit atque viscosum.

Arcere namq; frigus instar vestis & munimenti. Alij vero causam in ejus calorem rejeciebant,

bant, quoniam contactu per calorem calefaciat.

Siccum vero esse oleum, etiam hoc argumento docebant. Quod literas atramento scriptas neque vitiat, neque delet, id sicca exuccaq; constat natura: eò quod reliqua liquida omnia eas aboleant. At oleum literas illas minimè vitiat, & minimè delet, non secus ac cinis & arena. Ergo sicca natura constat.

Quemadmodum vero de primis olei qualitatibus magnus erat apud veteres dissensus, ita & de secundis.

Alij enim id tenuis, alijs crassæ substantiæ esse dictabant: & propterea diversas causas adferabant, si, cur aliis rebus minimè permisceatur, rogabatur.

Alij namq; dicebant, hujus rei causam esse τὴν οὐφότητα καὶ τὴν λεπτομερείαν, illius levitatem & partium tenuitatem: alijs vero τὴν γλισχότητα καὶ τὸ πάχος, viscositatem & crassitatem ejus in causa esse affirmabant: cum succis sui similibus misceatur, v. g. decocto Malvae.

Idem dissensus inter illos erat, si querebatur, cur oleum terram non probè riget, cum illa alijs liquoribus, v. g. vino, aqua, acoto &c. facile madescat. Quidam enim causam rejoiebant in illius siccitatem: alijs in tenuitatem substantiæ: nonnulli in crassitatem. Nam qui tenuitatem pro causa adferabant, intactos terræ poros transire aiebant. At qui crassitatem causam esse volebant, ne ingredi quidem illos profitebantur.

Hæc

Hæc Galenus summatim duntaxat commemo-  
rare voluit. Nam si singula membra hic expen-  
derentur, oratio certè in magnam excresceret  
prolixitatem. Non etiam merebantur ratioci-  
nationes allatae examen accuratius, duab. de  
causis: I. quod incertæ sint & ambiguæ: II. quod  
Medico hæc tractatio sit inutilis. Non enim hic  
inquiritur, an medicamenta absolute calida sint,  
frigida, humida, aut sicca: neque an formicas,  
apes, vespas, aut alia animalia humectare, aut  
siccare, calefacere aut refrigerare valeant, inda-  
gatur, sed quomodo ad humanum corpus, quod  
subiectum est Medicina, se habeant. Itaque cum  
liceat in hominibus experimentum facere, haud  
recte ad alia corpora vertuntur. l. 2. c. 20.

## V I.

Cum veteres simplicium vires & qualita-  
tes non recte inquisiverint, quod sp̄tēto sen-  
su & experientia ad Rationem prossilierint,  
quæritur, quænam sit βάσις & ὁρθή, recta ex-  
periundi ratio? Respondet Galenus, & re-  
petit hanc indagundi rationem, quam etiam in  
præcedentibus & libro primo edocuit: ut sc. expe-  
rimentum faciamus primum in corporibus εὐνέ-  
τοις, temperatis. Deinde in corporibus δυσκράτοις,  
intemperatis. Tertiò in morbis, calidis, frigidis,  
humidis, & siccis. Quartò, ut distinghamus id,  
quod per se aliquid agit, ab eo, quod operatur  
ex accidenti. Hoc autem facere licet, si simili-  
cia simplicibus admoveamus affectibus, à quib.  
causa,

causa, sive sit ταλιθωρα, sive κακοχυμία, abest.  
Deinde si perpendamus, num simplicia statim ab  
initio vim suam exerant, an demum post aliquod  
temporis spatium: aut ubi fuerint ablata. Quar-  
tò opera in primis danda, ut simplicia, quorum  
qualitates investigare animus est, omnis sint  
alienæ misturæ expertia. l. 2. c. 21.

VII.

Quomodo methodus ista universalis ad  
oleum accommodetur, ut ostendatur, quo  
pacto illius facultas tandem inveniatur? Pro-  
positis aliorum opinionibus de olei communis qua-  
litatibus & viribus, quæ sane multæ erant &  
discrepantes, Galenus ad traditam de invenien-  
darum facultatum, simplicibus medicamentis in-  
herentium, doctrinam ratione ac methodo pro-  
greditur, & quomodo oleum temperamentum inve-  
niatur, ostendit. Docet autem, illud non melius  
indagari posse, quam si animadvertiscas, quid-  
nam humano corpori, tūm sano, tūm aegro, ad-  
motum, prestare soleat. Inveſigat igitur olei fa-  
cilitatem ex ipso ἐργῳ, hoc est, ex opere, quod ex-  
perientia & sensus commonstrat. Monstrat ve-  
rò experientia, oleum τοῖς ἐγκεναυμένοις, ijs, qui  
præter naturam calefacti sunt, applicitum, auge-  
re calorem, & efficere, ut progressu temporis ca-  
lidiores evadant. At τοῖς ἐψυχμένοις, illis, qui  
præter naturam sunt refrigerati, adhibitum, ni-  
bil neque prodesse, neque officere. Ex quo liquet,  
quod licet nos calefacere uatum sit, non tamen

id

id facere possit σφοδρῶς, vehementer, neq; ἐνεργῶς,  
evidenter, quemadmodū resina, pix, aut bitumen.  
Inaudienda autem non est pix, resina, aut bitu-  
men siccum. Talia enim inungi nequeunt. Neq;  
intelligenda, quæ Sol liquārit. Hæc enim nec  
ἀτλῆ, simplicia, nec ἀλοφεῖ, sponte nata sunt  
medicamenta: sed resina ἀλόρρυθμη, quæ sponte  
fluit: aut terebinthina, aut lentiscina, quæ li-  
quida etiamnum ac recens sit, aut pinea, quæ  
in fætilibus supernè instar olci innatet, aut pix  
liquida, aut potius, quod oleosum in ea supernè  
fluit, πίσαρθρη, flos picis appellata, aut bitu-  
men liquidū, quod ex Media importatur. Omnia  
enim hæc pingua sunt, plurimumque oleose in  
se substantiae ac naturæ habent, & ἐνεργῶς, evi-  
denter calefaciunt, quemadmodum & alia oleo-  
rum genera, utpote myrrha, & cæte, (in sañi)  
oleum picinum, juniperinum, cedrinum, lauri-  
num, aliaq; plurima, quæ σαφῶς, clarissimè refri-  
geratos calefaciunt: τὰς δ' ἐγκαυμένες, exæ-  
stuantes, ἐνχάτως, extremè cruciant. Utrosque  
igitur, & refrigeratos, & præter naturam exca-  
lefactos caleficere extra controversiam est. Ast  
oleum neutros, neque refrigeratos, neque exca-  
lefactos ἐχεῖς admodum offendit. Illos enim  
non calefacit: hos vero non magnopere ladir.  
Non tamen ἀσαφῶς, obscure iis, qui ἐπ' ἐγκαύσει,  
ex ardore febricitant, ἄστος Τινθρὸς ἀλιον γίγνεται,  
molestiæ cuiusdam causa est, caloremque augere  
apparet. Exemplo sint exquisita erysipelata,  
quæ

quæ χολώδη sunt pœnata, affectus ex biliō  
nati fluxione. Nam in istis σαφῶς, manifestè ca-  
lorem aduget, etiam si applicetur vel frigidissi-  
mum. Etenim in ardoribus (ἐπὶ τῷ έγκαυσεων)  
si salis sit expers, Ἐ λεπτησμένον, candidum,  
aliquid ὡραίοις, solatij adfert, dummodò fri-  
gidum applicetur. In erysipelatibus autem,  
quamvis frigidum sit, nil utilitatis parit, sed  
omnes affectus, qui ex biliosa nascuntur fluxione,  
vel maxime offendit: minus tamen eos, qui quos  
sanguis bili permixtus producit, non tamen levi-  
ter. Inflammationes vero ζεύσας, ardentes adhuc  
minus ledit, sed tamen perspicue. Ex quibus omni-  
bus colligitur, oleum calorem parem ijs, quibus  
applicatur, accendere. Apparet enim, corporibus  
mediocriter calidis admotū moderate illa cale-  
facere: quæ vero valde calida sunt, validius.  
Sic igitur, ut rem in pauca contrahamus, ar-  
gumentari licet.

Si oleum commune, quod salis est expers, re-  
cens, & ex olivis maturis expressum, refrigeratis  
neque prodest, neque nocet: præter naturam atti-  
tem calefactos non admodum offendit, sequitur,  
illud evidenter & vehementer calidum non esse,  
ut olea & resinæ recensitæ. At oleum tale, qua-  
le descriptum, refrigeratis neque prodest, neque  
nocet: præter naturam aut calefactos non admo-  
dum offendit, dummodò non valde febricitent, aut  
exquisito spuriove erysipelate, aut ferventi phle-  
gmone non detineantur. Ergo vehementer & evi-  
denter calidum non est, l. 2, c. 2. I. 8. Quo-

## VIII.

Quomodo ergo oleum sit calidum? Galenus dicit, se l. 3. de temperam. docuisse, quod omnia medicamenta calida, quae corpori applicantur, caloris sui principium accipient a nobis. Et partim ὀσταύτως, similiter nos recalefaciant, partim σφοδρότερον, valentiūs. Atque ex illis, quae eis ἵπον, aequaliter nos recalefaciunt, oleum esse scribit: idque ex illius viribus planum facit.

Nam quod simplex tepidum parit calorem in ijs corporibus, quae mediocriter calida sunt, validum autem in illis, quae calefacta sunt insigniter, id videtur moderate calidum esse. Oleum haec facit. Ergo moderate calidum est.

Minorem probat quo ad membrum prius. Quod simplex frigidos affectus, utpote spasmus, tremores, et stupores, qui sunt δυσκαθαρίας καὶ δυσκινητίας magnopere neque juvat, neque laedit, id valde calidum esse non potest. At oleum dictos affectus neque juvat, neque laedit. Ergo valde calidum esse nequit.

Hec Minor rursus confirmatur.

Quod simplex non calefacit vehementer, id dictos affectus, qui frigidi sunt, non juvat. At oleum vehementer non calefacit. Ergo dictos affectus non juvat.

Rursus, quod simplex non refrigerat, id affectus propositos non offendit. Oleum non refrigerat. Ergo affectus propositos non offendit.

Si queras, an oleum dictis affectibus nulla

ratio-

ratione prōdēsse queat? Respondet Galenus, id proprio suo calore, qui moderatus est atque cēpidus, istis affectibus non prōdēsse: posse autem illis utile esse plurimū, cūm adscititium comparavit calorem, & illum quidem vehementem. Comparat verò sibi talem calorem, si herbae, aut radices calefaciendi facultate prāditæ in eo decoquuntur: postea oleum in solium, sive alveum quendam fundatur, & laborantes in illum demittantur. Ex quo consequitur, oleum ḥanv Tivā, materialm quandam esse aliorum medicaminum. Id quod Galenus hoc argumento planum facit.

Quod frigidum redditur, si frigida illi incoquantur: calidum, si calida, id quædam est aliorum pharmacorum materia. At oleum frigidum redditur, si frigida illi incoquantur: calidum, si calida. Ergo quædam est aliorum pharmacorum materia.

Hæc Minor ab eodem hoc pacto probatur.

Q. est ēn lñs μέσης ιράσεως, mediae temperaturæ, id ὑπηρετεῖ τοῖς ἀνθρώποις ἐκάλεσι, utrisq; extremis inservit. Oleum est mediae temperaturæ. Ergo inservit utrisque extremis.

Major stabilitur exinde: quia si mediae temperaturæ simplex calido commisceatur medicamento, id quod ex ambobus mixtum est, frigidum efficere non valet, nempe cūm ipsum non sit frigidum. Neque si frigido associetur, calidum facere potest, quoniam ipsum calidum non est.

Atque hæc causa est, quod aliij oleum nos calefa-

lefacere dixerint : alij verò hoc ipsum negarint.  
Calefacere enim videri possit , cùm ad calorem  
pervenit calefacenti corpori parem. Hac enim  
ratione recalefacere rursùs potest. Quòd verò  
quem accepit calorem augere non possit , haud  
quaquam calefacere videtur : quippe cùm non  
quem accepit , servare , sed augere calefacentis  
sit opus. l. 2. c. 22.

### I X.

Quæ sint principia deceptionis veterum  
Medicorum in medicamentorum investigan-  
di facultatibus? Respondet Galenus, tria fuisse.  
Primum, Ἄ τὸ μὴ διορίσανται ηὰ γένη τῶν θερμαίνειν,  
νηπὸς λεγομένων , quòd non distinxerint genera  
eorum, quæ nos calefacere dicuntur. Secundum,  
Ἄ τοις ὀμονυμίαις χρῆσθαι συγκεχυμένως , quòd ho-  
monymis, sive equivocationibus usi sint confusè,  
cùm tamen calida, frigida, humida, & sicca mul-  
tis modis dicantur. Tertium, Ἄ μηδεμίαν ἀπολε-  
τεῖν μεσότιλα , quòd nullum statuerint medium,  
sed quasi hac omnia contraria essent ἀμετα. Nam  
quod non videbatur esse calidum , id frigidum  
statim pronunciabant, quasi verò non possit esse  
tepidum mediaque naturæ.

Hac occasione Galenus modos persequitur,  
quibus aliquid calidum aut frigidum dici pos-  
sit , qui tamen etiam in precedentibus traditi  
fuerunt.

Primo igitur modo aliquid v. g. calidum dici-  
tur ἐνεργεία, actu, ut ignis.

• 2 . Secun-

Secundo δυνάμει, potestate.

Rursus quae δυνάμει calida dicuntur, partim sunt τροφαι, alimenta, partim φάρμακα, medicamenta, partim σκεπάσματα, tegumenta.

Tum, quod ἐνεργείᾳ calidum est, tale est, vel ἀπλῶς simpliciter & absolutè, ut ignis: vel καὶ ἐπικράτησιν, per exuperantiam, ut animal. Hocque iterum comparatè dicitur, quando scil. comparatur ἡρῷ σύμμετρον ὄμοιον, ad sui generis: ut si Leo cum homine conferatur: uterque enim animal est, ejusdemque generis: vel cùm confertur cum quovis obvio, h. e. cum quolibet individuo: ut si Dion cum Theone, Titius cum Sempronio comparetur.

Quarto, quod potestate calidum dicitur, primum quidem distinguitur ab eo, quod tale est per accidens. Deinde tot habet differentias, quot actu calidum. Nam cùm sit velut apta quædam materia ei, quod actu calidum est, partim ad ea, quæ absolutè calida dicuntur, partim ad ea, quæ per excellentiam quandam, tum ad quidam σύμμετρον ὄμοιον, medium generis sui, aut ὄμοιον, medium suæ speciei, aut ad ὅτις ἐπίλυκον, ad obvium quidvis, propria utique fuerit materia. Quocirca cùm ea consideremus calidas, quæ ad hominem referuntur, æquum est, ut alia prorsus omittantur.

Hæc ergo cùm veteres non distinxerint, qui de simplicium viribus docuerunt, & insuper etiam lás μεσότητας, mediocritates, tum in nostris tem-  
pera-

peraturis naturalibus, tūm in temperamentis etiam medicamentorum præterierint, non mirum, quod aberrārint. Arbitrabantur enim, simplicia, quæ calida, frigida, humida, aut sicca statuuntur, simpliciter & absolute talia esse, quasi inter haec non essent, quæ mediæ naturæ esse possint: neque simpliciter calida, neque absolute frigida: item neque simpliciter sicca, neque absolute humida. Mediæ enim naturæ quadam esse simplicia, omnino concedendum est.

Verūm adeò quidam sunt iñlīθiοι, stupidi, ut ne quidem cùm audiverunt veritatem, eam asse qui queant. Nonnulli verò etiam contradicere veritati minimè erubescunt, ac si planè nihil temperamento esset medium. l. 2. c. 23.

X.

Ut tandem olei temperatura cognoscatur, quæri potest, an id nostrum corpus calefaciat, an refrigeret, ac ob id vel calidum, vel frigidum dici possit? Respondet Galenus, oleum tripliciter nos calefacere. Primum ut alimentum, quando scil. assumitur in corpus.

Probat hanc thesin hoc argumento.

Quod est alimentum, id nos calefacit. Oleum est alimentum. Ergo nos calefacit.

Minor probatur primūm auctoritate celebrium Philosophorum & Medicorum. Omnes enim oleo locum inter alimenta relinquunt. Deinde hoc medio. Nam quicquid corpori nostro apponitur, agglutinatur, tandemque etiam assi-

O 3 mila.

mitatur, id illius est alimentū. Oleum assumptum corpori nostro apponitur, agglutinatur & assimilatur. Ergo oleum corporis est alimentum.

Deinde ut medicamentum μέσον τῶν θερμα-  
νῶν τε καὶ φυχόντων ἴματα, medium inter ea,  
qua nos calefaciunt & refrigerant.

Tertio ut tegumentum nos calefacit. Quem-  
admodum enim vestimenta, sive tegumenta, à no-  
bis ipsis calefiunt, & calefacta rursus nos cale-  
facere consueverunt, ita & oleum à nobis calefit,  
& calefactum iterum nos calefacit. Ut autem  
illa calefaciente corpore calidiora non evadunt,  
sic neque oleum calidius redditur corpore nostro,  
nametsi ab eo calidum factum sit.

Res fiet clarior, si aeris ambientis memineri-  
mus. Hic enim aliquando usque adeò frigidior  
est calore nostro, ut munimentis tegumentisque  
adversus illius injuriam opus sit. Interdum vero  
nisiq[ue] adeò calidior evadit, ut illum ferre nequea-  
mus, sed queramus umbracula, locaque frigidio-  
ra. Nonnunquam vero ita temperatus est, ut  
neque calefacentia, neque refrigerantia poscan-  
tur loca, quoniam tali est aer, ut circa omnem  
molestiam in eo versari liceat. Hæc tertia aë-  
ris constitutio, quæ est σύμμετρη, καὶ μέση τῶν  
ἀλλῶν, moderata, & inter alias media, corpus  
nostrum neque calefacit, nisiq[ue] refrigerat, cum re-  
liquæ duæ, quæ excessive calidæ sunt, aut frigidæ,  
evidenter nos aut calefaciant, aut refrigerent.  
Sic quoque oleum, ut medicamentum, insigniter  
corpus

corpus nostrum neque calefacit, neque refrigerat, sed temperatum est. Ceterum, ut, quod dixit Galenus, adhuc clarus sit, aliud exemplū profert. Concipiantur, ait, homines duo, quos οὐκ παρέστησαν σώμα, simili predicti temperamento, qui sese mutuo contingant, vel pectore & ventre solo, vel manibus & cruribus. Quod si aér illos ambiens eandem cum illis nactus sit κεῖσιν, ut in tribus hisce corporibus, nimirūm in aere ambiente, & in duobus hominibus mutuo se contingentibus, par insit calor, tūm sanè neuter ab altero calefiet. Id quod hoc argumento probatur. Nam οὐκία τάχιστη σώματα, quae corpora undique similia sunt, ea à sese mutuo nullam accipiunt ἀλλοιωσιν. Atqui tria hæcce corpora, duo se contrectantia & aér, similia sibi sunt undique caloris ratione. Ergo nullum ab altero accipit ἀλλοιωσιν.

At si aér sit frigidus, tunc homines isti duo mutuo se caleficere dicentur, tametsi haudquam calefiant, sed frigus solum arceant.

Dices, quod frigus arcet, id calefacit. Homines propositi, se mutuo contrectantes, frigus arcent. Ergo caleficiunt se invicem. Respondet Galenus ad Majorem, vulgus quidem dicere, quod frigus arcet, caleficere: ἀλλ' εἰν οἴθως, ast minus recte, sed καλαχρυσικῶς, quia verbo calefaciendi abutitur. Posse quidem illis permitti, ut pro consuetudine loquantur: verum concedi nequaquam posse, ut omnia, quae frigus arcent, eodem modo caleficere

O 4 dicantur.

dicantur. Nam εἰς ἀνθετικὴν παρέχειν θερμοσίαν,  
ex se cuiquam calorem præbere, καὶ κωλύειν τὸ θυ-  
χεῖον, frigus prohibere, idem non sunt.

His sic se habentibus, statuendum, quæ foris  
nobis sunt injecta, eundemque calorem cum cor-  
pore nostro habent, sive illum habeant à se ipsis,  
sive ab aliis, sive à nobis met ipsis, καὶ ἀγισθῆ λό-  
γον, exacta loquendi ratione calefacere, aut refri-  
gerare dici non posse. At si cui lubeat καταχρῆ-  
σαι, nominibus abuti, concedi posse, popularem lo-  
quendi rationem, dummodo distinguatur: quia  
alio modo calefacere nos dicitur aér θερμότερός,  
calidior, alio qui est σύμμετρός, moderatus.  
Calidiori verò aëri ἀνάλογα sunt pyrethrum, vā-  
nu, h. e. sinapi, & piper. Moderato autem pro-  
portionē respondent pinguedo & oleum. Verūm  
aér actu calidus est, vel frigidus: hæc autem sim-  
plicia talia sunt potestate. Nam aërem non ipse  
calidum facimus: sed talem illum nuncupamus,  
quoniam in eo versando talem eum experimur.  
At medicamenta principium calefactionis à nobis  
accipiunt, & postea vel æquè nos recalefaciunt,  
vel plus, vel minus. Ex albo autem illorum, quæ  
æquè nos recalefaciunt, oleum est. Quod tamen  
etiam duplice alia ratione calorem augere vide-  
tur. Syllogismi confici possunt duo.

Primus est. Q. se habet instar vestimenti  
ac muniti, id calorem auget, & corpus ab  
ambiente refrigerari prohibet. At oleum corpori  
illitum instar vestimenti & muniti se habet.

Ergo

Ergo calorem auget, & corpus ab ambiente refri-  
gerari prohibet.

Alter est. Q. calorem intus detinet, & efflu-  
vium ejus arcet, id calorem auget & conservat.  
At qui oleum inunctum calorem detinet, & efflu-  
vium illius arcet. Ergo calorem auget atque  
conservat.

Minor probatur. Q. est lentum, glutinosum  
& viscosum, hocque nomine difficulter à parte,  
cui est inunctum, decidit, meatusque corporis in-  
farcit & obstruit, id inunctum calorem detinet,  
& effluvium ejus arcet. At oleum tale est. Ergo  
calorem detinet, & effluvium illius arcet.

Hoc igitur modo oleum nos calefacit, minimè  
verò ut medicamentum: ac proinde neque per-  
mittit, ut corpus nostrum siccetur, nisi calidum  
applicetur, idque plusculo tempore. Quas illius  
vires cum homines habeant usu compertas, quos  
largius sudare volunt, sive in, sive extra bal-  
neum, iis non protinus ab initio oleum admovent.  
Verum illis, qui ex morbo aliquo convalescunt, &  
morbo laborârunt, ubi sudare cœperint, calidum  
affundunt. Affundunt quoque illis, qui morbo  
etiamnum detinentur, ubi jam abundè satis su-  
dârint. In sanis, qui longo itinere, aut exercita-  
tione, aut quovis alio pacto sunt exhausti atque  
evacuati, etiam ante sudorem oleum inungi per-  
mittunt. Sed qui non concoixerunt, aut corpore  
sunt πλυθωρικῶ, his neque in balneo illiniri con-  
cedunt. l. 2. c. 24.

O S      II. Cum

XI.

Cum oleum medium sit inter calefacientia & refrigerantia, queritur, an idem etiam medium sit inter humectantia & siccantia? Affirmative respondet Galenus: idque probat duobus argumentis.

Primum est. Q. neq; ut aqua humectat, neq; ut oleum laurinum, aut cedrinum siccatur, sed talem servat nostri corporis temperiem, qualem accepit: scil. humectans solum ad aequalitatem partes, eas autem humidiores minime reddens, id est metuon inter humectantia & siccantia. Atque oleum, si scil. omnis externi caloris & frigoris sit expers, neque ut aqua humectat, neq; ut oleum laurinum, aut cedrinum siccatur, sed talem nostris corporis temperiem, qualem accepit, servat, nimirum humectans solum ad aequalitatem partes, eas vero humidiores minime reddens. Ergo metuon est inter humectantia & siccantia.

Minor, quod oleum partes ad aequalitatem solum humectet, h. m. probatur. Q. partes non supra gradum illorum humiditatis humectat, & tamen propriam eorum humiditatem conservat, id eas ad aequalitatem solum humectare dicitur. At oleum partes, quib. illinitur, non supra eorum humiditatis gradum humectat, & propriam eorum humiditatem conservat. Ergo eas ad aequalitatem solum humectare dicitur.

Hac Minor iterum sic stabilitur. Q. απόστασις τὰς ατμώδεις διατρέπει τὴ σώματος, omnes corpora-

corporis vaporosas expirationes prohibet, id propriam partium humiditatem conservat. Oleum hoc facit. Ergo humiditatem partium conservat.

Minor rursus confirmatur. Q. est lentom crassum, & viscidum, id expirationes illas prohibet, quoniam est ἐμπλασικὸν, porosque occludit. Oleum est lentom, crassum & viscidum. Ergo expirationes illas prohibet.

Secundum. Q. non tantū calidis & frigidis medicamentis, sed etiam humidis & siccis accommodata est materia, id medium est inter humectantia & siccantia. Oleum est talis eorum materia. Ergo medium est inter humectantia & siccantia. Mediocriter igitur humidum est, sicuti temperatè & moderatè calidum suprà dictum fuit.

Minor plana fit hoc modo. Q. permistum exiccatibus exiccat, & quod adjunctum humectantibus humectat, & his associatum, sæpè magis humectat, quam id, quod περτος, primariò est humidum, ut aqua, id aptissima est eorum, quæ humectant & siccant materia. At oleum hæc facit. Ergo aptissima exiccatum & humectatum est materia.

Quod autem oleum admistum humectantibus magis sapenumero humectet, quam aqua, quæ tamē περτος humectare dicitur, hoc pacto probatur. Q. veluti vinculum est, & propter lentorem ac crassitatem diu partibus inhæret, & per consequens etiam diutinam actionem obtinet, id magis

magis humectat, quam aqua, quæ licet πρώτως  
humectet, tamen cum haud diu inhæreat, nec  
diu operetur, strenuè humectare nequit. At oleum  
humectantibus aliis additum, veluti vinculum  
quoddam est. & propter lentorem ac crassitatem  
partibus diu inhæret. Ergo magis, quam aqua,  
humectat.

Ex quibus consequitur, oleum longè optimum  
remedium exiccatis squalidisque esse corporibus.  
Siccans verò esse præsidium, si siccantia simpli-  
cia, v. g. chalcitis, pyrethrum, galla, struthiū &c.  
illi fuerint permista. Quapropter, cum omnibus,  
quæ sibi commiscentur, oleum subserviat, εὐλόγως  
sanè veluti materia omnium existit. Quamvis  
autem necessariò propriam illorum vim & actionem  
retundat ac minuat, non tamen minuere  
solet usum, seu utilitatem. Imò est, ubi eam quo-  
que adaugeat. Non enim eadem sunt, τὴν ἐνέρ-  
γειαν τινὸς ἀνέσται, actionem cujuspiam augere,  
καὶ τὴν ὡφέλειαν, utilitatem. Nam ἐνέργεια se-  
cundum propriam cujusque facultatem: ὡφέλεια  
verò nonnunquam ex accidenti agit: de qua ta-  
men postea differetur. Hic solum tenendum,  
ὑδρελαιον, mixturam ex aqua & oleo, magis la-  
stitudinibus commodare, quam solam aquam: non  
quidem quod vires ejus intendantur, sed quod  
diutius partibus inhæreat: h. e. uti dictum, non  
ratione ἐνέργειas, sed ratione ὡφέλειas, quoniam  
crassities & lento olei hanc parit utilitatem, ut  
partibus diutius, quam aqua simplex adhærescat,  
l. 2. c. 25.

12. Cùm

## XII.

Cum dictum, oleum remedium esse eximium corporibus exiccatis, & verò per exercitationes, quæ lassitudinem pariunt, corpora siccentur, quæritur, quo modo oleum lassitudinem istam solvat? Respondet Galenus, solvere eam, si membra oleo fricentur ἐπιταλέον, plusculum. Fundamenta hujus assertionis sunt sequentias.

I. Oleum humectare & emollire.

II. Frictione comparari calorem adscititum.

III. Oleum frictione adigi in minutos corporis meatus.

IV. Oleum cum frictione adhibitum humiditatē acrem ac subtilem, quæ in lassitudine ex colliquatione (ἐκ συνήξεως) provenit, ac sub cute latere solet, per halitum digerere.

V. in lassitudinibus geminam nasci affectionem: resiccationem partium similarium, & humectationem vacuorum spatiolorum. Humectari verò non utili & naturali humore, sed tenui, acri atque mordaci: & proin remediis egere duplicitibus, tūm siccitatem partium rigantibus, tūm acrem humorē evacuantibus.

Hinc sic argumentari licet. Q. partes resicatas humectari, & tenues acresque humores, qui in lassitudine ex colliquatione proveniunt, ac sub cute latent, evacuat, id lassitudinem solvit. Atqui oleum frictione corpori inunctum has duo præstat. Ergo lassitudinem solvit.

Minor

Minor probatur quo ad membrum prius.

Q. est humidū, id partes resiccatas humectat.  
Oleum est humidum. Ergo partes resiccatas hu-  
mectat; eoq; magis, quando cum frictione adhibe-  
tur. Intruditur enim quasi in poros cutis.

Deinde quo ad membrum posterius.

Q. digerit atque discutit, id etiam vacuat.  
Oleum cum frictione illitum digerit atque dis-  
cutit: quoniam frictione calor excitatur, qui dige-  
rendi & discutiendi facultate pollet. Ergo oleum  
cum frictione illitum vacuat.

Si quæras, qualianam sint illa excrementa?  
ubi lateant? & num reverā per exercitationes  
corporis generentur? Respondet Galenus, esse  
æstia, tenuia, δριμεῖα, acria, raiδανώδη, mor-  
dacia, & latere non tantum sub cute, sed etiam  
desfluere, tanquam συνίγματα, liquamina, in ven-  
trem: neque figmenta esse: cùm videamus, eos,  
qui se exercuerunt, sudare: & conjectura proba-  
bili assequamur, etiam in reliquo corpore talia  
relinqui supervacua post exercitationes, quæ va-  
cuationem postulent. I. 2. c. 25.

### XIII.

Quæ igitur remedia tūm ad humectatio-  
nem & emollitionem partiū, tūm dictorum  
excrementorum vacuationem sint omnium  
aptissima? Galenus ait, talia esse dulcium aqua-  
rum balnea. Probat hoc tali argumento.

Quæ remedia sunt humida, ea siccitatem par-  
tium emendant: & quæ calida, tenues acresque  
humo-

humores eliciunt. At balnea aquæ dulcis sunt  
humida & calida. Ergo siccitatem partium  
emendant, & acres humores eliciunt.

Si iterum roges, utrum ejusmodi balnea suf-  
ficiant? Respondet Galenus, sufficere quidem  
posse, si aqua ita comparata esset, ut non facile  
desflueret. Verum, cum foris assusa facile desfluat,  
& que in poros ingressa corporis promptè effluat,  
siquidem ansam nullam habeat, ideoque illi ne-  
cessariam esse admissionem olei, & parandum  
Hydrelæum. Hoc enim maximè juvare, si eo  
diutiū quispiam fricitur, quod veteres Græci  
 $\chi\mu\lambda\epsilon\delta\gamma$  nominabant: cui oppositum erat  $\xi\eta\varphi\epsilon\tau\gamma$ ,  
quod est, siccâ frictione uti. Qui modus  
& ipse lassitudinem quodammodo sanare potest:  
sed efficacior longè est modus prior, qui fit per  
 $\tau\alpha\chi\mu\lambda\epsilon\delta\gamma$ , & quo Hydrelæum fricando inungi-  
rur.

Ratio huic includi potest syllogismo. Quo mo-  
do efficitur, ut & aqua, & oleum diutiū corpo-  
ri inhāreat, & rūm siccitas ex exercitatione con-  
tracta corrigatur, & dicti tenues acresque hu-  
mores evacuentur, is ad rollendam lassitudinem  
est efficacior. Isto priori modo hac efficiuntur.  
Ergo posteriori est efficacior.

Minoris ratio ex dictis liquet. Nam cùm Hy-  
drelæum paratur, aqua cum oleo miscetur, hæc quæ  
mixtura diu agitatur, & quasi teritur atque con-  
tunditur, ut probè coēant ambo, nec facile à se  
in vicem separantur: quo sit, ut vires aquæ non  
quidem

quidem intendantur, fortioresque reddantur, sed tamen aqua propter admixtum sibi oleum, quod crassum est & lento, diutiis partibus, quibus est afficta, inhæreat & immoretur. I 2. c. 25.

XIV.

An quod utrisque inservit extremis, scil. calidis & frigidis, aut humidis atque siccis, medium tenere debeat temperaturam? Medium temperaturam, μέσην τῆς κράτεις Galenus eam vocat, quae est σύμμετρη, moderata, nullam habens in activis, aut passivis insigniorem excessum: ut liquet ex cap. 24. Id vero simplex ὕλην τῶν ἀργῶν, materiam extremonum vocat, quod eam habet temperaturam, ut si v. g. frigida illi commisceas simplicia, frigida reddatur mixtura: sin calida, calida evadat. Docuit enim Galenus cap. 22. quod mediae est temperaturae, utrisque inservire extremis: ita ut se permisceatur calidis mistum ex ambobus, frigidum facere nequeat, quia ipsum frigidum non sit: neque si frigido associetur, id calidum reddere non valeat, quia ipsum non sit calidum.

Ad propositum ergo problema respondet Galenus, quod simplex materiae rationem obtinens, in mistis medium tenere debeat κράτην: idque probari posse scribit dupliciter. Primum quidem καθόλει εἰς άντης τῆς τῶν φαρμάκων φύσεως, generaliter ex ipsa medicaminum natura. Deinde vero εκ τῶν τῆς κατ' εἰδῶν τῶν φαρμάκων isogias, speciatim ex illorum historia.

Gene-

Generatim hoc modo. Si quod materia rationem habet in mistura, intemperatum esset, & excedentem aliquam vel activam, vel passivam haberet qualitatem, tum ad misti sibi medicamenti facultatem vinceret, in contrarium traheret, & in aliam plane speciem transferret, quod ex ambobus miscerur. At hoc facere non debet: quia nullam neque ἐπισημονίαν, insignem speciem, neque δύναμιν, facultatem exerere debet. Ergo quod materia in mistura rationem habet, intemperatum esse non decet.

Speciatim vero modo sequenti. Non debet id, quod materia rationem habet, neque calefaccere, neque refrigerare, neque humectare, neque siccare. Nam si hoc ficeret, alienam introduceret qualitatem, & scopo nostro forsan contraria. Illustrari hoc potest exemplo rerum calefacentium & desiccantium, quarum suprà quocumque mentio facta, resinae, picis liquidæ, myrrhæ, bituminis, olei cedrini, laurini &c. Hæc enim omnia in aqua agitata, & trita, & confusa calefaciunt magis, quam refrigerant: & desiccans magis, quam humectant. Ideoque tunc nostri dænis auctoritate, laetitudinis sensus haud admodum solvere valent. Non enim eandem cum aqua vim habent. Proinde magis intentioni nostræ adversantur, quam affectui medentur: a littoralibus, magis quam supervenientibus, contrapugnant magis, quam cooperantur.

Quæ igitur eandem vim cum aqua non habent,

bent, quæ medium inter extrema naturam sortita nō sunt, ut ἡ φύσις ἐργάτως ἐργάζεται, primarij agenti, minimè inserviant, quæ deniq; desiccant & calefaciunt, non humectant & refrigerant, ut aqua, ea conveniens aliorum materia esse non possunt. Enumerata modò simplicia eandem vim cum aqua non habent, neque medium naturam inter extrema sortita sunt, sed calefaciunt atq; desiccant. Ergo conveniens aliorum materia esse non possunt. Nam experientia testatur, si aquam simplicib. calefacentib. & siccantibus commisces, aquam non modò nihil eorum, quæ agere nata est, prestare posse, sed eam prorsùs obscurari & quasi aboleri, tanquam admista non fuisset. Etenim Chalcitis, Sandaracha, Mysy, aliaque hujus generis, quæ nos vehementer sum calefaciunt, tūm siccant, validas etiamnum vires suas, etiam aquæ permista, retinent.

Liquet ergò, id, quod utrisque extremis tanquam materia inservire debet, μέσον τινα τὴν οὔσιαν, medium obtainere temperaturam deberet, ut oleum olivarum. l. 2. c. 26.

## XV.

Quomodo conficiendum sit πόδιον, oleum rosaceum? Quodnam oleum rosaceum propriè vocetur? Cujus sit temperaturæ? Quomodo vires ejus explorentur? Conficiendum est πόδιον ex oleo salis experte, & ἀκεράσως, ad unguem puro: dandaque opera, ne quid in se medicamentosius contineat, uti id apparare solent ei μυ-

oi μυρετοὶ, unguentarij. Condiebant enim prius oleum quibusdam aromatibus, tūm ut magis duraret, tūm ut evaderet ἐυωδέσσερον, odoratus. Postea demūn rosas injiciebant. Oleum namque rosaceum (Ἐλαυον πόδινον) vocabant, quod absque aromatibus & odoramentis preparatum erat. Cui verò aliquid aromatum additum fuisse, id non oleum, sed μῦπον, unguentum nuncupabant.

Cùm verò oleum commune, quod recens, dulce, & ex maturis olivis expressum, veluti materia quedam sit calidorum frigidorumque medicaminum, mediae scil. & temperatae naturae: cumque τὸ πόδινον ex oleo communi & succo rosarum constet, erit utique & ipsum talis temperaturae, qualis est rosarum succus: πόδινον scil. ἀγελάς, καὶ ὄντως πόδινον.

Eius verò virtus & temperies non ex odore, neque ex colore, neque ex similibus aliis accidentibus indagāda est, sed ex ἑραγῆσ φανομένοις, iis, quæ evidenter apparent, tūm in sanis, tūm in ægris corporibus, investiganda. Quid autem τὰ ἑραγῆσ φανομένα nos docent? Docent, eos, qui sunt κακαμένοι, adusti, ab eo refrigerari, & illicè utilitatem inde percipere aliquam. Qui verò sunt refrigerati, evidenter ab eo lədi. Vides ergo, oleum rosaceum magis refrigerare, quam calefaccere: non tamen refrigerare valide: sed ita, ut frigiditas illius proxima videatur mediæ temperaturæ. Ejusmodi verò medicamina clarioris doctrina causa ex illorum sunt classe, quæ primo

P 2 gradus,

gradu, sive recessu frigida sunt: quemadmodum  
qua<sup>e</sup> paululum à media temperie ad calidorem  
declinant, primi gradus calefacientia statuuntur:  
quos recessus & gradus hic & alibi ἀποσάτεις  
καὶ τάξει Galenus appellat. l. 2. c. 27.



## COROLLARIA.

### I.

**A**N Opium calidum, ari frigidum? Notarium est, Gracos & Arabes Opium statuere frigidum, & quidem gradu quartō: adeo ut sensum stupefaciendo dolores leniat, somnum inducat, & alvi fluxus coerceat. Eos sequuntur adhuc hodiē neoterici multi, & propterea illud calorificis corrīgunt, myrra, croco & castoreo. Dant etiam cinnamomūm, piper, cardamomum, satureian, origanum, absinthium, rutam, allium, theriacam &c. infusa, vel decocta in vino meraco: secuti vestigia Dioscoridis l. 6. c. m. 17. ubi de Meconij cura agit: Galeni l. 9. de compos. med. x. tōπ. c. 4. & Avicennæ l. 4. feni. 6. trāct. i. cap. 18 Verūm, cùm Opium sit amarum: cùm sudores moveat: cùm acrimoniam quandam habeat: cùm sitim excitet: cùm Venerem irritet: cùm pruritum faciat: cùm facile inflammetur: cùm linguam vellicet, faucesque incendat, qui quæso frigidum, statui potest: & quidem, ut Galenus docet loco allegato, in excellentissimo gradu, adeo ut omniū narco-

narcoticorum & soporiferorum fortissimum ju-  
dicet? Nec est quod vis vaporalium nati vortalium  
obijciatur. Hac enim non à manifesta qualitate  
frigida, sed ab occulta, quæ apponi est, inexplic-  
abilis, proficiscitur. Alias magna aquæ frigidæ,  
nivis & glaciei copia magis, quam duo triave  
Opij granula stupefacerent: quoniam in majori  
quanto major esse virtus solet.

Notanda hīc sunt obiter tria. I. quæ di-  
cuntur de Opio, etiam de Meconio intelligenda  
esse. Nam non specie, sed gradibus solūm differunt.  
Meconium enim Dioscorides l. 4. c.m. 56. multò  
dicit ignavius esse. Differunt & materia proxi-  
ma. Remota enim eadem est utriusq; nempe pa-  
paver. Proxima autem quodammodo alia. Ete-  
nim secundum Dioscoridem Meconium fit ex  
capitibus & foliis (alij addunt & ex caulis)  
papaveris tuis, praloque expressis, & in pa-  
stilos formatis. Opium vero succus est ca-  
pitibus papaveris paululum leviterque incisis  
extillans. Faciundi rationem monstrat idem  
ibidem.

II. Optimi Opij notas esse secundum Diosco-  
ridem, quod sit grave, densum, gustu amarum,  
odoratu soporiferum, leve, candidum, aqua facile  
solubile, non asperum, non grumosum, quod inter  
colandum non, ut cera, coeat, & in Sole non dif-  
fundatur: dein admotum lucernis non atra flam-  
ma luceat: denique extinctum odoris vim conser-  
vet. Quibus notis addere licet, quod vires habeat

P S ins-

insignes valdeq; potentes, ad dolorem sopiaendum,  
somnum conciliandum, fluxiones capitis fistendas,  
tussim ferinam, à destillationibus obortam, com-  
pescendam, alvi uterique stuores inhibendos.

III. Officinarum opii non videri legitimum  
Dioscoridis Opium esse. Nam tametsi grave sic,  
densum, amarum, somniferum, tamen quia neq;  
candidum est, sed nigrum, neque lave, sed aspe-  
rum, neq; purum, sed impurum, & forsan etiam  
non ex capitibus papaveris, cultro leviter decus-  
satim in stellas, ut Diocorides loquitur, ne pe-  
nitùs adigatur, incisis, lachrymæ in modum ex-  
tillans, sed ex capitibus, folijs & caulinibus papave-  
ris vel expressum, vel decoctum. Sic enim & Meco-  
nium, Opij emulum, antiquitus paratum fuisse,  
Plinius l. 20. c. 18. testatur.

IV. Nostrum Opium, dummodo purificatum  
sit, utiliter quoque usurpari posse, quod aequè ca-  
tarrhos sistat, somnum adferat, dolores sedet,  
tussim coerceat, & omnis generis fluxibus me-  
deatur, ac Opium Diocordis.

V. Masslac Turcarum Asiaticorum, in Nato-  
lia, h. e. Asia minore, habitantium, Opij speciem  
quandam esse. Magno enim studio & frequentia  
papaver colere, & exinde Opium suum, quod  
Masslac appellant, confiscare dicuntur. Utuntur  
eo satis crebro, & quidem magnitudine pisi: non  
ut somnum sibi concilient, sed ut hostem invasu-  
ri animos inde parent, fortiusque cum illo præ-  
lientur. Sumunt id autem hoc in casu aliquando  
larginus:

largius : quo facto , instar furiosorum in obvia  
quævis pericula feruntur, nihil neque arma , ne-  
que sclopetorum bombardarumve, aut machina-  
rum bellicarum glandes pertimescentes.

II.

An aliquid tūm cibi , tūm potus in pul-  
monem feratur ? Solidioris cibi consueto natu-  
ræ ordine nihil eō fertur. Fertur autem eō ali-  
quid illius nobis inter comedendum vel loquenti-  
bus , vel ridentibus , vel præproperè & incautè  
manducantibus , celeriterque deglutientibus. Ve-  
rūm, hoc si contingat , tuſſis oboritur gravissima,  
vox intercipitur , & homo penè suffocatur. Id  
quod Anacreonti accidisse Valerius Maximus  
l. 9. c. 12. memorat , qui acino vuæ passæ suffo-  
catus interiit. Eadem ratio potus est , si pluscu-  
lum illius, imò ne plusculum quidem, sed aliquor  
duntaxat guttula nobis imprudenter bibentibus  
subito in Laryngem defluat. Neque cessat tuſſis,  
vocis interceptio , & suffocationis periculum , do-  
nec à spiritus egredientis vehementia , quod ma-  
lestat, propellatur: sic docente Galeno l. 2. simpl.  
c. 17.

Non diffitemur tamen , quin aliquid potus per  
asperæ arteriæ parietes interiores feratur, & ad  
pulmones deducatur : idque plane sine noxa , &  
sine symptomatibus modo expositis. Paucum enim  
id est , & non aὔγως , sed paulatim ac pedeten-  
tim eō abit. Nam epiglottis , que laryngis  
est operculum, semper paret, ut aëri fumidisque

excrementis præbeat exitum: nec deprimitur unquam, nisi nobis cibum potumque deglumentibus. Haud ergo impossibile est, ut dum pondere assumptorum deprimitur, exiguum quid liquoris aliquius per rimas & latera laryngis in asperam arteriam, indeq; in pulmonum bronchia delabatur. Et quorsum quæso Medici tūm syrups, tūm eclegmata, tūm tabellas ad promovendā sputamina in asthmate, peripneumonia, pleuritide, & empyemate ordinarent, si nil liquidæ substantiæ eò pertingere posset? Videatur consensus Hippocratis l. de corde, & Galeni, tūm loco allegato, tūm l. 8. de placit. Hipp. & Platon. cap. ultimo.

### III.

Quæ sit causa, quod si vel cibi solidioris particula, vel potus portiuncula aliqua nobis imprudenter comedentibus atque bibentibus in asperam arteriam delabatur, tantus dolor, tantum suffocationis periculum, tan taque vocis interceptio consequatur? Hoc factum videtur mira Naturæ providentia, ut animal cautè bibat & comedat: ne plusculum vel cibi, vel potus ἀθρόως, confertim, affatimve in fistulam spiritalem deerret. Oportet enim cannam pulmonis esse liberam, quo ingressus & egressus esse promptus atq; expeditus possit aëri, dum inspiramus & expiramus. Vita namq; & respiratio pari passu ambulare vulgo dicuntur. Hanc ob causam membrana arteriam tracheam succin gens

gens sensum obtinuit exquisitum valde: quod si aliquid in laryngem subito delaberetur, id illic sentiret, ipsaque virtus expultrix ad officium suum, quod exiguis est, instigaretur.

I V.

An pinguedo à calore, tan à frigore proveniat? Peripatetici ajunt à calore. Illorum enim Princeps pinguedinem vocat αἷμα πεπλεύον, sanguinem concoctum, l. 2 part. an. c. 5. At omnis concoctio à calore. Scribit quoq; ibidem, eam esse partipem aëris & ignis. At hæc elementa calida sunt. Notorium insuper,flammam facile concipere. At talia quæ sunt, calida videntur. Adhæc copiosa observatur pinguedo circa cordis caput, renes, & musculos non paucos, natum præcipue. Sed partes istæ inter calidas reponuntur. Veteres quidam, inquit Galenus l. 2. simpl. cap. 20. credebant, inter oleum & pinguedinem evidentem ἀναλογιαν esse. At oleum calidum est, quia aereum. Ergo & pinguedo. Idem, ait idem ibid. dicebant, multam esse pinguedinem in sanis benèque nutritis corporibus. Quod ipsum quoque Galenus l. 11. simpl. c. de pingued. suo calculo comprobat. At talia sunt calida. Ergo & effectus caloris, pinguedo. Denique effectus docent, pinguedinem calidam esse. Nam omentum pingue est, ut calorem & ventriculi, & intestinalium, quibus innat, foveat, concoctionemque promoveat, quemadmodum Aristoteles l. 4. part. an. c. 3. docet:

P 5 idque

idq; Galenus l. 4. us. part. c. 9. exemplo eorum, qui  
bus per magna abdominis vulnera omentum ex-  
ciderat, & ob livorem, quem contraxerat ab aëris  
ambientis frigore, fuerat amputatum, confirmat.  
Idem Galenus l. 5. simpl. c. 9. pinguedinem inter  
rà èxtruska, suppurantia recenset. At èxtruska  
species quædam est concoctionis, quam à calore  
proficiisci dictum est. Et libro 11. simpl. pinguedi-  
nem calefacere, humectare, emollire, & digerere  
scribit: aliam tamen magis, minus aliam. Magis  
animalium ferorum & naturâ calidiorum: mi-  
nus urbanorum & frigidiorum. Magis quoque  
inveteratam: minus recentem.

Peripateticis se opponunt Medici, & pin-  
guedinem à frigore provenire contendunt.

I. quia à calido liquatur, à frigore autem  
concrescit.

II. quia corpora calidiora pinguedine ferè  
carent. Sicca enim sunt & gracilia: quo argu-  
mento etiam usi sunt veterum quidam, ut testa-  
tur Galenus l. 2. simpl. c. 20,

III. quia fœminæ, quæ maribus frigidiores,  
pinguedine abundant. Mares, qui calidiores,  
illius minus habent. Ibid.

IV. quia qui otiosam & sedentariam vitam  
agunt, pingues sunt: macri contrà & graciles, qui  
laboriosè vivunt. At illi frigi: hi calidi judi-  
cantur. Ibid.

V. quia gentes frigidas inhabitantes regiones  
pinguedine luxuriant: macræ vero conspicuntur,  
quæ calidas incolunt. Ibid. 6. quia

VI. quia animalia frigida, quae quidem evan-  
pa sunt, sanguinea, (nullum enim avum vel  
seuo, vel pinguedine gaudet, inquit Aristoteles  
l. 2. part. an. c. 5.) pinguiora sunt: graciliora,  
que hisce contraria. Ibid.

VII. quia pinguedo semper in corpore nostro  
membranis, partibus frigidis, adhaerere cernitur;  
exceptis meningibus, testium, & quibusdam aliis.

VIII. quia illi, quibus venæ sunt exiles atque  
angustæ, pinguiores sunt iis, qui amplis & turgi-  
dis sunt prædicti. At venarum angustia frigidio-  
ris temperamenti nota est apud Galenum in  
*μικρῷ ΧVη* c. 44. & l. 2. de temperam. c. 6.

VIII. quia hyberno tempore pinguiora sunt  
animalia, quam aestivo. Videatur de hac mate-  
ria l. 2. de temperam. c. 4. & 6.

Nobis decisio quæstionis haud videtur dif-  
ficilis, dummodò distinctio adhibeatur. Conside-  
randa enim pinguedo & secundum concretionem  
suam, & secundum materiam, tūm proximam,  
tūm mediatam, & secundum materiae istius ean-  
sam effientem. Concretio fit à tepido mem-  
branarum calore, qui à Medicis habetur pro fri-  
gore. Materia remota sanguis est: quo nomi-  
ne dixit Aristoteles, nullum exangue animal se-  
rum, aut pinguedinem habere. At sanguis hu-  
mor calidus est, & caloris pabulum atque fomen-  
tum.

Materia proxima vapores & halitus sunt  
pingues & oleosi, è sanguine manantes, qui alla-  
bentes

bentes ad membranas, à densitate earum arcen-  
tur, quò minus ferantur ulterius, tandemq; con-  
globantur quasi & concrescent, corpusque consti-  
tuunt, quod pinguedo appellatur. Causa verò  
efficiens tūm generans sanguinem, materiam  
mediatam, tūm vapores illos oleosos exuscitans.  
materiam immediatam, calor est, ut omnibus no-  
tum.

Frigus ergo concedimus, tanquam causam con-  
cretionis; sed non actuale & absolutum, ( tale  
enim in sano & vivente corpore Galenus non  
admittit) verùm calorem tepidum. Calorem  
astruimus tanquam causam efficientem, eamque  
generantem sanguinem, & vapores unctuosos  
exuscitantem.

Ipsam verò pinguedinem calidam & humidam  
statuimus, tūm ratione predominantium in mix-  
tura ejus elementorum calidorum, tūm etiam  
effectuum causa: quoniam pinguedo concoquit,  
discutit, suppurat, calefacit: alia tamen magis,  
alia minus, ut supra ex Galeno monuimus.

V.

Num rectè dixerit Galenus l. 2, simpl. c.  
**24.** vestimenta nos calefacere? Suo modo re-  
ctè: scil. à nobis calefaciendi principio accepto.  
Incalescunt enim à nobis: sed recalefaciunt cor-  
pus nostrum: fitque ista calefactio hinc inde &  
reciproce, quamdiu vestimenta nobis adharent.  
**Calefaciunt** etiam nos hac ratione, quoniam ex-  
terni frigoris introitum arcent, præsertim si vel  
**ex**

ex pellibus animalium, vel pannis compactioribus  
& crassioribus sint confecta.

Dices, quod aliquid non habet, id alteri communicare non potest. Vests calorem non habent. Ergo neque illum nobis communicare possunt. Respondemus ad Majorem: quod aliquid neque actu impræsentiarum, neque potestate in tempore futuro habet, id alteri dare nequit. At vests licet actu calorem non habeant: habent illum tamen potestate, sc. à calore nostro paulò post assumptionem sibi impertitum. Ideoque eodem corpus nostrum recalefaciunt.

## V I.

An gentes frigidas incolentes mundi plaga calidiores sint iis, quæ inhabitant calidas? Si de interno, proprio & nativo calore sermo sit, videntur sanè illæ has caloris robore superare. Primum, quia corpora habent ob ambientis frigiditatem magis compacta atque constricta: quorum causa neque internus calor facile exhalat: neg, externus promptè ingreditur. Deinde, quia Septentrionales sunt audaciores, animosiores, & bellicosiores: quæ qualitates sanè non nisi ab uberiore calore proficiuntur. Tertid, quia corpora eorum sunt majora secundum omnem dimensionem. Quartò, quia sunt robustiora.

At n̄ iχὺς τε σώματ̄, inquit Aristoteles problem. 32. sect. II. præcipue in calore consilit.

Quartò, quia sunt μεγαλόφωνοι, vocem magnam edunt. At tales juxta Hippocratem l. 6.  
epidem.

epidem. sect. 4. præcalidi sunt. Quinto, quia sunt voraces, & non tantum multa, sed etiam crassa, solidaque fercula feliciter concoquunt. At caloris ubertas facit, ut homines edaces existant. Ostendit hoc Hippocrates sect. 1. aphor. 13. exemplo adolescentium & puerorum, qui propter caloris vigorem jejunium diu tolerare nequeunt: exemplo hyemis & veris, quib. anni temporibus ob eandem causam jejunare homines diu non possunt.

## VII.

Sitne oleum olivarum, quod ex maturis est olivis expressum, aëreas & terrenæ naturæ? Ex libro secundo Galeni de simpl. med. fac. colligimus, oleum aëreas, aqueas, & terrenas in se habere partes. Aëreas, I. quoniam pingue & unctuosum, II. quoniam leve. Innatat enim liquoribus aqueis. III. quoniam calidum & humidum, sed tali humiditate, quæ non aquæ est. Ignis enim est pabulum. Si aqueum esset, ignem extingueret. Aqueas, si sit recens. Galenus namque ex Theophrasto docuit, liquoribus ex plantis elicitis excrementum inesse geminum: tenuius & quasi aquosius, itemque crassius atque terrestrius. Illud progressu temporis partim concoqui, partim consumi: hoc subsidere ait, quia gravius. Illud inesse oleo recens ex olivis expresso: hoc manere, & ἀμόρφην, amurcam, seu fæcem & limam olei appellari dicit. I. 2. cap. 17.

g. Utrum

## VIII.

Utrum omnia viscosa sint frigida? Visco-  
sum, seu viscidum, & glutinosum, græcè γλυπτόν,  
dicitur tām de solidis corporibus, quām de humo-  
ribus. In solidis quidem id viscidum, & gluti-  
nosum est, quod fractu est contumax: ed quod hu-  
mor multus, & qui tensioni cedit, terrenas par-  
tes glutinet: quod rāmen aliás lentum vocant:  
Bāh: flexible scil. minimēque fragile: ut sunt sa-  
lices, tendines, ligamenta, membranae &c. Huic  
opponitur ἡδη κραῦσον, friabile, quod siccum & fa-  
cile in minutas particulas teri potest: das leicht  
zu zerreißen ist. Græcis aliás θυγατέριον, θυγατον,  
θεοπόν: ut panis tostus, saccharum album &c.  
In humoribus autem viscosum appellatur, quod  
rebus tenaciter adhæret: vel quod dum trahit,  
aut elevatur, continuatatem longissimè servat.  
Ad problema ergo propositum respondemus, multa  
quidem viscosa frigida esse, ut cerebrum, mu-  
cum, pituitam, syrups ex refrigerantibus simpli-  
cibus paratos, mucilaginem sem. cydoniorum, sem.  
psyllij, Tragacanthæ &c. sed non omnia. Pluri-  
ma enim calida esse, mel, oleum, pinguedo, resina  
terebinthina, laricea, abieigna, pix & bitumen  
liquatum docent. Ideoque quemadmodum nec ex  
aliis quibusdam accidentibus certi aliquid de  
simplicium temperamento statui potest, ita neque  
ex viscositate. Sensus atque experientia optima  
sunt xp̄p̄ḡn.

9. An

I X.

An oleum, quod ex maturis olivis exprefsum, & mediæ est ætatis, in utraque primatum qualitatū oppositione sit temperatum? Galenus hoc secundo libro de simpl. med. fac. statuit, oleum in activis esse temperatum, si scil. sit simplex, dulce, & ætatis mediæ. Quod nos quoq;  
z uemur: quoniam manifestè nos neque calefacit,  
neq;  
z refrigerat. Sed utrum etiam tale sit in pas-  
sivis, queritur? Respondemus, inclinare ad humi-  
ditatem. I. quia aëreum, & pingue. II. quia  
emollit indurata. III. quia iuvat partes siccatas,  
& ledit humectatas. Iuvat autem siccatas in  
laſitudinibus: ledit humectatas in ulceribus, quib.  
est adversissimum. Omnia quippe ulcera, quate-  
nus ulcera sunt, siccari postulant, ait Galenus.  
Oleum autem sordida reddit ulcera, & ad putre-  
dinem disponit, præsertim tempore æstivo, quo  
omnia cisiùs putrescunt, quam alijs anni tempo-  
ribus.

F I N I S.

2d 2663

ULB Halle  
006 549 195

3



WCM M





